



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

507. An dare possit licentiam Clericis transeundi ad aliam diæcesim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

eam concessionarius exerceat tanquam sedis Apostolicæ delegatus, quod additum aliàs esset superfluum. Dian. *loc. cit.* nisi forte addita quoque esset particula etiam, utpote quæ implicat jurisdictionem quoque ordinariam, ut dictum à nobis supra *loc. cit.* ex Fagu. Ad secundum dicitur pari modo Capitulum sede vacante non posse cognoscere de causa hæresis, quò ad exemptos; cum non nisi potestate sibi delegata per *c. ad abolendam de Hæret.* seu tantum tanquam sedis Apostolicæ delegati hæc faciant Episcopi, neque enim dicendum (ut vult Moner. & ut non rectè admittit Dian.) hæc dein facultatem, seu jurisdictionem tam Episcopis, quam Capitulo sede vacante concessam ut ordinariam: quippe sine ulla amplius mentione facta de autoritate Apostolica, seu ut procedant tanquam sedis Apostolicæ delegati per *Clem. 1. de Hæret.* non fiat ulla mentio exemptorum. Ad tertium dicitur, quod loco confirmationis additur; dicendum, quòd licet Episcopi habeant illam facultatem visitandi exemptos à jure communi, habeant tamen eam à canone non tanquam ordinariam, sed ut delegatam. Dian. *loc. cit.* nam tam à jure communi, seu canone, quam Concilio concedi potest jurisdictione delegata, & non omnis jurisdictione concessa à jure communi est hoc ipso statim ordinaria. Ad quartum, nimirum quòd rationi consentaneum non sit, adeò que intentio Concilii non fuerit, ut moniales exenpta toto tempore sedis vacantis careant gubernatore, nec habeant, ad quem recurrant, & à quò, si necessarium, visitentur. dicendum, quòd ingruente necessitate, quæ dilationem, aut recursum ad sedem Apostolicam non patiatur, posse tam quò ad exemptos tam in negotio visitationis quam alto, de quo agitur, procedi à Capitulo sede vacante, pro ut sententiam hæc negativam limitant Cuchus. l. 2. *instruat. major.* & alii apud Dianam *loc. cit.* & quidem jurisdictione ordinariâ; quippe in casibus urgentis necessitatis intrat jurisdictione ordinaria Capituli, non secus ac eaintrat & ex ea procedere possit Episcopus, licet nullam potestatem delegatam haberet. Dian. qui etiam in fine *cit. resolut. 14* ex Baunio addit, admonendum à Vicario Capituli Papam de re integra, & si intra semestre à literis ad eum datis malo non succurratur, cum videri, honestam rationem habere Capitulum animadvertendi in fontes. quòd si (quod ut ait, existimat verius) facere id non potest, res videtur committenda Deo, aut ad novum Episcopi adventum remittenda.

Questio 504. *An igitur possit Capitulum sede vacante concedere monialibus exemptis, & Papa immediatè subjectis licentiam exeundi monasterio in casu urgentis necessitatis?*

R Esp. si lubet inhære jam immediatè ante traditis, posse id Capitulum sede vacante, ubi necessitas est gravis, quæ recursum ad Papam non patitur, si enim id in eo casu potest Episcopus, non tam potestate & jurisdictione delegatâ quam ordinariâ (quæ, ut dictum paulò antè, intrat in casu urgentis necessitatis) poterit id ipsum Capitulum, utpote in quod transit potestas Episcopi ordinariâ. Ita tenet Dian. *cit. resolut. 14.* citans Tho. Sanchez. tom. 2. sum. 1. 6. c. 15. n. 30. & addens rationem, quia monasteria hæc non debent esse absque Prælato, ad quem in casu necessitatis confugiant. Quomo-

do verò id sequatur ex dictis, & cum illis coherereat, quod ibidem quoque ex Sanchez ait Dianat posse Capitulum sede vacante concedere licentiam monialibus egrediendi monasterio in casibus permittis in Bulla Pii V. quæ incipit: *Decoris & honestati.* quam vis id pertineat ad Episcopum tanquam sedis Apostolicæ delegatum, id inquam, non video; cum quæ delegata tantum sunt jurisdictionis, ab Episcopo ad Capitulum non transeant juxta dicta ab ipso Diana. *quest. preced.* Multò minùs subsistit & dictis convenit, quod tradit Baunius. *theol. mor. tom. 1. tract. 11. q. 24.* apud Dianam *loc. cit. resolut. 39.* nempe posse Capitulum sede vacante monialibus immediatè subjectis Papæ dare licentiam egrediendi claustrum ex causa; quia Vicarius Episcopi eandem cum eo jurisdictionem habet: at Episcopo competit jurisdictione delegata in moniales exemptas quò ad egressum è claustrum juxta Trident. *sess. 25. de regular. c. 9.* & Capitulum sede vacante vices agit Episcopi mortui: ergo hæ ab eo sede vacante facultatem egrediendi domo ex causa impetrare poterunt, cum esse non debeant sine Prælato, ad quam confugiant, hæc inquam non coherent cum dictis *quest. preced.* ex parte tenentium sententiam negativam, nam juxta *ibi dicta*, etsi Capitulum suo modo dicatur Vicarius Episcopi, non tamen in illud transeunt, quæ is ex pura delegata facultate, & jurisdictione potuit. Proinde & ipse Diana *cit. resolut. 39.* rejicit hæc Baunii doctrinâ concludit: sed hæc opinio non est admittenda stantibus declarationibus S. Congregationis.

Questio 505. *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam ingrediendi monasteria monialium?*

R Esp. Affirmativè. Dian. *loc. cit. resolut. 49.* citans Pellizar. *tract. de monial. sess. 5. n. 148.* ubi ex Suarez probat, sub nomine Episcopi in verbis Concilii *sess. 25. c. 5. de regular.* (ubi id concedit Episcopis) venire etiam Capitulum sede vacante, & consequenter Vicarium Episcopalem; cum succedat in ordinaria jurisdictione Episcopali.

Questio 506. *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam novitiis, ut disponant de bonis temporalibus?*

R Esp. Potest Capitulum sede vacante dare licentiam, ut novitii intra duos menses ante professionem disponant de temporalibus suis bonis juxta Trident. *sess. 25. de regular. c. 16.* potest enim id Episcopus jure ordinario; Capitulum autem succedit in omnem jurisdictionem ordinariam Episcopi. Barbol. *jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 90.* citans Sanchez. in *Decalog. tom. 2. l. 7. c. 5. n. 68.* Item Dian. p. 8. tr. 4. *resolut. 53.*

Questio 507. *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam clericis beneficiatis transeundi ad aliam diocesim. v. g. dum eligerentur ad dignitatem, vel obtinerent beneficium alterius diocesis?*

R Esp. Non convenire AA. nam primò negativam tenet Fagu. in *c. bis quæ, de major. & obed. n. 59.* ubi: licentiam transeundi ad aliam ecclesiam Capitulum clerico impertiri non potest sede vacante. citat pro

pro hoc c. presbyteri. dist. 24. c. Fraternitatem. dist. 71. gl. ult. in c. cum olim. de major. & obedient. & ibi Hof. n. 1. Butrio n. 16. & alios communiter. Item tenent illam Cuchus. instit. major. l. 3. tit. 9. n. 75. apud Dian. loc. cit. resol. 20. Archid. in c. si is. cui. de elect. in 6. apud Azor. instit. mor. p. 2. l. 3. c. 37. q. 12. Fundamentum huius sententiæ est; quod sicut Capitulum sede vacante alienare nequeat bona, & res ecclesiæ, ita nec personas; translatio autem talis beneficiati ad diæcesim aliam sit quædam alienatio. Quinimo multò minus alienare hæc ratione possit personas; quia major, ut inquit Fagn. citans c. præcipimus. 12. q. 1. est alienatio personarum, quàm rerum.

2. Affirmativam tenent cum Abb. in c. cum olim. n. 2. Azor. loc. cit. ubi etiam dicit probabilior. Molin. de just. tom. 6. tract. 5. d. 11. n. 14. ubi ad Capitulum sede vacante transit iurisdicção concedendi facultatem transeundi ad dignitatem ecclesiasticam in aliam diæcesim, & omnino transeundi ecclesiasticum in alienam diæcesim, sicut Episcopo eadem iurisdicção competit. Pirh. ad rit. de major. & obed. n. 51. ubi potest Capitulum sede vacante non tantum confirmare electionem Abbatis, aut similibus Prælati, aut eam infirmare; sed & dare licentiam Abbati, similive Prælato transeundi ad prælaturam alterius diæcesis &c. Item Dian. loc. cit. citans insuper Jo. And. & Jo. Monach. in c. si Abbatem. de elect. in 6. Pavin. de potest. capit. p. 1. q. 8. Borgal. de irregular. p. 3. tit. utrum aliquo tempore Capitulum dispensare possit. Fundamentum huius sententiæ est; quod datio huius licentiæ sit actus iurisdicçãois, ut Azor citans c. si religiosus. de elect. in 6. & hæc potestas dandi hanc licentiam spectet ad ordinariam Episcopi iurisdicçãoem, ut Pirh. neque hæc translatio, seu transitio ecclesiastici ad alienam diæcesim sit propriè alienatio rerum Episcopatus, quæ sola prohibetur Capitulo sede vacante; cum non ita in alienatione illa clerici præiudicetur Episcopo, sicut ei præiudicatur in alienatione bonorum Episcopatus, ut patet. Dian. Pirh. Molin. ll. cit. uti & ipsum inde confirmatur, quod res Ecclesiæ nequeant alienari sine solemnitate, ista autem licentia detur sine solemnitate. Et translatio Prælati alius continuo succedit (idem est de beneficiato alio, dum in huius beneficium vacans mox alius sufficitur) non verò in locum rerum, & bonorum alienatorum succedunt res aliæ seu bona. Pirh. loc. cit.

3. Atque ex his jam etiam rectè inferri videtur contra Fagn. in c. significasti. de off. Archid. n. 3. in hærentem dicto fundamento, nempe quod & hæc sit alienatio; posse Capitulum sede vacante concedere literas dimissorias (non quidem ad ordines suscipiendos, de quo inferiùs) sed quas formatas vocant, de quibus notatur in c. 1. & 2. de cler. peregrinant. & quarum formula edita à Concilio Nicæno ponitur in c. 1. dist. 73. quibus clerico peregrinatio redditur testimonium de vita, & ordinibus illius, isque in hunc finem à potestate Episcopi sui absoluitur: non enim illa dimissio concessa peregrinandi gratiâ magis est alienatio, quàm dimissio, & absolutio beneficiati è potestate Episcopi sui in ordine, ut in diæcesi alia ad prælaturam, aut beneficium assumatur.

Quæstio 508. An Capitulum sede vacante convocare & celebrare possit synodum?

1. Resp. synodum diæcesanam sede vacante à Capitulo cogi, & haberi posse simpliciter asserit Gare. de benef. p. 9. c. 2. n. 64. Idem asserunt Pavin. de potest. Capit. sed. vac. p. 1. q. 7. n. 3. Bottaus de synodo Episc. p. 1. q. 6. n. 40. apud Laym. in c. cum olim. de major. & obed. n. 13. verum synodum hanc sede vacante congregari non debere, si paulò post Episcopus eligendus, aut instituendus speretur; secus esse, si sedes diu vacatura sit, ut propter captivitatem Episcopi ab hostibus; vel si ob aliam ingruentem necessitatem res moram, aut dilationem non patiatur Laym. loc. cit. & ex eo Pirh. loc. cit. n. 50. Fundamentum horum posteriorum AA. est, quod celebrare synodum sit inter valde ardua, quæ utpote secundum consuetudinem ecclesiarum solis Prælati, seu capitibus ecclesiarum competere censetur, Capitulum sede vacante expedire nequit, nisi necessitate cogente. Idem ferè tenet Lotter. de rebenef. l. 2. q. 31. n. 80. ubi: ego verò, quemadmodum non dubito, potestatem cogendi synodum esse de lege iurisdicçãois, quod etiam ostendi l. 1. q. 21. n. 79. ita valde vereor, nec nihilominus simpliciter sit transmissibilis ad Capitulum; constatque huiusmodi non transferri ad Capitulum. Tamen id intelligo, si velit indicere synodum ad effectum non solum exigendi consecuti-va jura episcopalia, vel etiam ad effectum decernendi, & itaueendi generaliter & universaliter super statu ecclesiæ, & cleri. Secus verò, si ob imminuentem aliquem casum necessitatis velit huic providere, ut in simili dicitur, de facultate statuendi, quæ licet sit meri imperii, & incommunicabilis, ut probavimus cit. q. 21. n. 87. nihilominus eadem transit in Capitulum respectu singularis casus, cui aliter necessariò provideri nequeat, ut opiniones contrarias conciliando concludunt Gemin. in c. 1. dist. 18. col. penult. Præpos. ibidem col. penult. Atque ita quotiescunque occurreret casus vacationis Parochialis sede episcopali vacante, si supponatur lapsus annus, à quo celebrata est synodus, & in facta deputatione Examinatorum, aut ex illis adhuc non supersunt, qui possint in præfinito numero examini interesse; quia in hoc casu est, quod impu- tetur Capitulo, si ilico non curaverit convocari synodum ex hac præcisâ causa deputandi novos Examinatores &c. ita ille.

2. Verum non video, cur non pari modo de cogenda per Capitulum synodo, quàm de instituenda per illum visitatione sit loquendum; cum & visitare sit inter ardua, ut expressè Laym. & Pirh. ll. cit. nec cogere synodum minus sit de lege iurisdicçãois, quàm visitare, urgeatque pariter lex diæcesana, & Concilii, synodum episcopalem cogendi singulis annis quàm visitandi: ac proinde dici queat, posse & teneri Capitulum cogere synodum, quoties id potest, & tenetur Episcopus, nempe singulis annis, ubi per plures annos duraverit vacantia, vel quasi vacantia (v. g. Episcopo ducto in captivitatem) sedis, nisi fortè non multum post elapsum ab ultima synodo annum speretur successurus novus Episcopus. Et sic absolutè tradit Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 49. hisce expressis: synodum diæcesanam quotannis Capitulum per suum Vicarium sede vacante potest celebrare, & convocare. pro quo citat. Gavan. in Encbirid. Episc. v. synodus diæcesana n. 2. Imò subdit Ventrigl. potest in ipsa synodo

* *